

S. G. B. T. B.

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



**COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem**

DISPUTATIO XXVII.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ARTICVLI VII,

De Ecclesia,

Et in specie,

De Primatu Petri , ex dicto

Christi Joh. 21. v. 17.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S.Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

JOHANNE TITELIO Rügenw.Pom.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 11. Decembr.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ AMBROSII ROTHI, Acad. Tyogr.

ANNO M DC XXX.



ИМЯТИИДЕАЛО monologno, misceflugia di

LINKS ORATION 13210

COMEDIES

ЛІV. ІДУЧІ ТЯЖІЗДОЧІ ТИА

STOOGES

Óßibzö erzeflubru-
gad

... vi. 7. 15. do. viii. 10.

...and the secret of life is to be simple.

• *Übergrödner Wintersbergs Alte Bäume*

Э Г И З А Н

•dt.e.a MIT RAM OHOA

Joachim Fritsch, 1838, Bregenz

Digitized by Google

THE BIBLICAL

• ПОДАРУЮ СВЕТЛЫЙ ДИАНАХОУ

timon bellus crotalus s.

Digitized by Google

Джеймс Эллиотт
Линкольн Академия
Жилье за монид



D. O. M. A.

Continuatio.

Nec in Becani dissertatione de Primatu Petri sequitur tertia & ultima conclusio si-
ve questio: quâ defendere satagit,
*Petrum babuisse in Ecclesia primatum po-
testatis & jurisdictionis.* Ad hunc suum
scopum obtainendum duplii utitur di-
sputandi methodo: *Eoneuasim⁹*: quâ pro sua opinio-
ne adducit argumenta probantia: Et *Avaoneuasim⁹*: qua
contraria argumenta refutare conatur. De priore, hac
incipiemus agere disputatione, examinaturi, pri-
mum argumentum *Eoneuasim⁹*, ex Johan. 21. vers. 17.
petitum.

T H E S I S I.

Primum conclusionem de primatu Petri ita proponit Beca-
nus §. 44. *Tertia conclusio. Petrus habuit primatum potestatis &*
*jurisdictionis Ecclesiastice, præ aliis omnibus: seu quodidem est: fuit vi-
carius Christi, caput Ecclesiae, pastor ovium Christi.*

II. Initio ne de re plane ignota disputemus, queritur,,
quid Becanus & Pontificij intelligent per *Primatum potestatis &*
jurisdictionis. Percipitur istud ex Bellarmini lib. 4. de Pontif. Rom.
cap. 22. ubi Pontificis potestatem triplicem constituit, *Unam vo-
cat ordinis; Alteram jurisdictionis interioris. Tertiam jurisdictionis*

exterioris. Primam definit per potestatem sacramenta conficiendi & administrandi : Alteram per potestatem regnandi populum Christianum in foro interiore conscientiae. Tertiam per jurisdictionem in eundem populum in foro exteriori. Ergo, quando priores duas potestates phrasib⁹ nostrarum Ecclesiarum, ex sacra scriptura defumtis, reddimus, tunc prima potestas erit docendi verbum & administrandi sacramenta. Altera, potestas exercendi disciplinam Ecclesiasticam juxta verbum DEI, quæ est potestas clavium : An autem posterior hæc rectè & propriè dicenda sit jurisdictione, adhuc sub judice lis est. Apud pontificios, qui conscientijs dominantur, hominesq; convertunt, non verbo sed ferro ; jurisdictione, quam sibi arripiunt contra ius & æquum & omne Verbum DEI dici poterit ; apud nos jurisdictionis ingenium non habet. Quin videtur vel ipsimet Beccanus hasce duas potestates priori termino includere, & jurisdictioni contra distinguere : quando Primum Petri dividit in potestatis & jurisdictionis.

III. Quid verò per Primum jurisdictionis Beccanus sibi velit, quam Bellarminus, potestatem jurisdictionis exterioris vocat, illud plane in nostris Ecclesijs ignoramus : quippe quæ totam Ecclesiasticam potestatem definiunt duabus illis officijs 1. prædicandi verbum & administrandi sacramenta, & 2. disciplinam Ecclesiasticam exercendi. Videtur autem per illam nihil aliud intelligere, quam gladium & potestatem politicam. Jesuita Bellarminus licet in conscientia sit convictus, potestatem hanc Pontifici & Episcopis neq; jure divino neq; etiam humano competere ; duplci nihilominus conficta distinctione dominatum illum Pontificis secularem palliare satagit lib.5.de Pontif.Rom. cap.1. & 6.

IV. Primum distinguit inter potestatem directam & indirectam, quando scribit: *Pontificem ut pontificem non habere quidem directe & immediate illam potestatem temporalem : sed tamen ratione spiritualis Monarchie habere indirecte summam potestatem in temporalibus, quatenus nimirum potestas politica Ecclesiastica est subjecta & subordinata.* Ex hac distinctione statim fluit altera : quæ distinguit inter potestatem summam & subordinatam, & contendit potestatem secu-

secularem subordinatam esse potestati Ecclesiastice, ita ut Pontifex Rom. non quidem ut Pontifex, sed ut spiritualis Monarcha, habeat hanc potestatem etiam in temporalibus.

V. Quod attinet primam distinctionem, nova illa & Jesuitica est, è diametro pugnans contra veterem Romanensium doctrinam, qui pontifici & Episcopis jure divino jurisdictionem tā in Politicis quā Ecclesiasticis sine omni exceptione & limitatione cōpetere asseruerunt. Quandoquidē Nicolai Papæ, teste & allegante Gratiano. distin.22. Canon. omnes. hæc est sententia: *Christus, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, B. Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperij jura commisit.* Item Bonifacius P. in Extravagante cap. unam sanctam de Majoritate & obediencia, ex verbis illis Apostolorum Luc. 22. v. 31. *Ecce duo gladij hic: & quod Christus non dixit, nimis est sed satis est, apodictice (scilicet) concludit, Pontificem duos gladios, spiritualem & Politicū, debere in terris exercere.*

VI. Verum pueriles hasce ineptias, non apodicticas conclusiones esse, quis non intelligit? Imò saniores Pontificii ipsi non possunt non agnoscere nugatoria nimis ista esse omnia, probè animadvententes, nuspian Apostolis claves regnum hujus seculi, sed tantum claves regni cælorum à Christo esse datas: neque illas magis Petro, quam cæteris Apostolis competere: cum neque iste imperij & jurisdictionis temporalis potestatem vel ex successione hæreditaria, vel electionis titulo vel jure belli, vel dono speciali unquam obtinuerit: ac proinde nec in successores Pontificis propagare potuerit. Nam quod quis non habet, non potest transferre in alium, *Nimis crassum est, quod quidam argumentari non vereantur ab exaltatione & dominio Christi secundum humanam naturam ad Præfulem Romanum: cum illud humanæ Christi naturæ adeo proptium sit, ut nulli unquam Angelorum, nedum hominum, dictum fuerit: Sede à dextris meis, Hebr. i. v. 13.* Ut etiam ineptum & ridiculum est, ex duobus Apostolorum gladijs utramq; jurisdictionem, Ecclesiasticam & Politicam, concludere, præsertim cum Christus & Petro & cæteris Apostolis ulum externi gladii interdixerit, *Mattb. 26. v. 52. Ut ita dominatus ille politi-*

politicus, Petro & pontifici Romano tributus, omni omnino causa
reat fundamento.

VII. Quod licet animadverterit Bellarminus, ac proinde à Veteri illa Theologia papana divortium fecerit, est tamen utraque distinctio mera ἀδολεσχία & petitio principii ; Quandoquidem hoc ipsum est κενόμενον incertissimum & maximè controversum, quod Jesuita pro certo & indubitate sumit, nempe 1. Romano Pontifici indirectè competere majestatem summam in temporalibus. Et 2. potestatem secularis esse subordinatam potestati Ecclesiasticæ, quatenus Papa est spiritualis Monarcha. Quandoquidem omnium Christianorum consensu, sic ex scripturis sacris edoctorum, utraq; jurisdicō sive potestas Ecclesiastica & Politica neq; directè neq; indirectè ulli homini, sive Apostolus sit sive Pontifex sive Episcopus, competit, quicunq; etiam respectus aut fucus diversitatis adhibitus fuerit, proindeq; nullus sub sole detur ordo, quo sub ratione potestatis jurisdicō secularis Ecclesiasticæ sit subordinata. Quocirca quamdiu indirectam illam potestatem & hanc subordinationem in temporalibus, non probaverit Jesuita, tam diu sophistam agit, & inanem verborum strepitum, cui nihil rerum subest, crepat.

VIII. Hanc ergo potestatem Petro, & consequenter pontifici Romano, datam esse, ut patet, per negamus, imò nihil planè ad Ecclesiam pertinere asserimus : Quandoquidem (ut habet Hutterus in erroribus Romanensium de Jure utriusq; gladij Pontificis Romani) lerna est & sentina omnium malorum & confusionum, in Ecclesia & Politia unquam exortarum. Si enim quæras, cur Papa potestatem dispensandi in poenitentia temporalibus sibi sumiserit, ita ut ab hac dispensatione non fuerit exceptus incestus, non adulterium, non homicidium, non parricidium, non simonia, non veneficium, non bestialitas, non perjurium, non similia scelera & flagitia ? Respondebit Esavita : Quia pontifex est spiritualis Monarcha, & habet sibi subjectam potestatem temporalem, ac propterea potest infirma relegates civiles principum, quia sic videtur necessarium ad animatum salutem. Sic si quæras : Quo jure Pontifex Romano violentis excommunicationibus, proscrip-
tioni-

ptionibus, armis & bellis tantopere sacerdotem in Imperatores, Reges, principes & potestates quasvis seculares? Quo etiam jure eosdem imperio, regni, principatibus exuerit, & alios ijsdem donaverit? Respondebit Esawita: quia est summus princeps spiritualis: quia potestas temporalis omnis huic est subjecta, quia sic necessarium visum fuit ad animarum salutem.

IX. Summatim loquendo (pergit Hutterus) quicquid curiae Romanæ non arridet, quicquid Idolomaniam ejus non excusat & approbat: quicquid deniq; ullo pacto legibus & traditionibus Pontificis etiam in secularibus repugnat, illud papam tanquam spirituali monarchiæ repugnans & animarum saluti adversum pronatu & arbitrio suo mutat, abrogat, excommunicat, proscribit, & vi, armisq; sibi vindicandum esse censet. Et hic fuit murus ille aheneus, qui regnum pontificium superioribus seculis sustinuit & consecravit: & in quo denuo erigendo, strenue hodieq; laborat pontifex cum universa cohorte pontificia. Quæ vero Tyrannis unquam fuit si haec non est? Quid est distinctissimos illos status, Ecclesiasticum & politicum confundere, si hoc non est? Quid est se extollere super omne id, quod numen vocari potest, si hoc non est?

X. Priores duas potestates, nempe potestatem docendi Verbum DEI & administrandi sacramenta: & potestatem regendi disciplinam Ecclesiasticam, non quidem juxta normam à pontifice præscriptam; sed juxta normam verbi divini, concedimus datas esse Ecclesiæ, sed sine ulla prærogativa: Atq; sic planum est, quid terminus ille, habere primatum potestatis & jurisdictionis Ecclesiastice significet & quousq; ille concedendus.

XI. His ergo ita explicatis, quaeritur portio, an sint revera Synonyma, que synonyma facit Beccanus? Negandum esse censemus. Quomodo enim primus quoad potestatem & jurisdictionem, & pastor ovium, itemq; caput Ecclesiæ & pastor ovium Christi, esse poterunt synonyma? pastor enim est qui oves pascit. Pascere vero est docere Verbum DEI, administrare sacramenta, & disciplinam Ecclesiasticam juxta normam verbi divini regere. Videatur Acto. 20. v. 28. 1. Pet. 5. v. 2. Is autem, qui jurisdictionem exercet, est Dominus, est Magistratus. Pastor vero non debet dominari

minati claro neq; gregi i. Pet. 5. v.3. Matth. 25. v.25. Mare. 10. v.42.
Luc. 22. v.25. Deinde Caput Ecclesiae solus Christus est, ut hactenus
demonstravimus & in sequentibus pluribus sumus demonstra-
turi.

XII. Incipit nunc Becanus herculea sua argumenta pro
primatu Petri recensere, ita pergens : *Probatur primò ex Verbis
Christi: Pasce oves meas. Quæfusè à me explicata sunt lib. 2. de Re-
pub. Ecclesiastica cap. 3.*

XIII. Etiam si de allegato dicto sèpius in præcedentibus
disputationibus à nobis sit actum & ad oculum demonstratum,
Christum verbis illis Petrum non principem & caput Ecclesiae,
sed Pastorem constituisse, nihilominus, ne aliquid intactum, &
quod à nobis solutum non sit, reliquise videamur, placet explica-
tionem istam lib. 2. de Repub. Ecclesiast. cap. 3. institutam, & hic
allegatam, adducere & examinare.

XIV. Sic ergò caput illud orditur Jesuita : *Multa sunt
scripturæ testimonia, quibus probari solet, Petro commendatam esse
totius Ecclesiae gubernationem à Christo. Ego unicum adducam, quo
maxime utuntur Patres, nimirum illud Job. 21. v.17. Pasce oves meas
ubi Christus committit Petro suas oves pascendas.*

XV. Sic est præter hæc alia etiam adducunt dicta cæteri
Jesuitæ. Gregorius de Valentia lib. 7. de Analyse Fid. Cath. cap. 2. & 3.
palmaria argumenta petit ex Matth. 16. v.18. & Luc. 22. v.26. & de-
mum tertio loco, nempe cap. 4. de hoc dicto agit, indeque argu-
mentum petit. Sed de ipsis alibi, impræsentiarum Becani argu-
menta exprimere constituimus.

XVI. Pergit ergò Becanus : *Et quia video te M. Antoni
hoc testimonio valde premi, & in variis contradictiones abire ; sigilla-
tim explicanda sunt hæc quatuor : 1. Ansoli Petro dictum sit, pasce o-
ves meas. 2. Quenam ille oves sint. 3. Quid significet Pascere. 4. An
aliquid peculiare hoc loco concessum sit Petro, præ aliis Apostolis. In
his punctis consistit tota difficultas.*

XVII. More sui ordinis contradictiones fingit Becanus,
ubi nullæ sunt. Sanè, ut videbimus in progressu, licet interdum
probabiliter disputet Marcus Antonius, nullibi tamen sibi con-
tradicit;

tra dicit; Jesuitæ contradicit, quod ipsius erat officiu, & debuit facere, si modo noluerit committere fallaciam ignorationis Elenchi, sed ad rem.

XVIII. Sic ergo ad primam quæstionem pergit Becanus
§. 2. Prima igitur quæstio est: An soli Petro dictum sit: pascœ oves meas? Affirmant Catholici. Et probant primo ex antiquis patribus apud Bellarm. lib. I. de Pontif. cap. 14. Deinde ex ipso textu. Nam illi dictum est, pascœ oves meas, à quo Christus ter quæsivit, Simon Johannis diligis me plus his? At hoc à solo Petro specialiter quæsivit. Soli ergo Petro dictum est, pascœ oves meas. Nec opus est pluribus argumentis id probare, cum tu idem sentias lib. 4. cap. 8. n. 1. ubi ait: Hoc loco Christum cum ipsomet Petro loqui singulariter & ei personaliter dicere, pascœ oves meas, constituo tanquam certissimum. Igitur in hoc punto convenimus, etiam si postea incipias, tuo more, nonnihil vacillare. Distinguenda sunt tamen ille due particulae quas, fraudulenter connectis, singulariter, & personaliter. Priorem concedo, posteriorem nego; Tametsi enim Christus cum dixit, pascœ oves meas, soli Petro singulariter id dixerit, excludendo reliquos Apostolos, quibus id non dixit; non ideo concedendum est soli Petro personaliter dixisse, excludendo successores Petri, quia id falsum est. Non enim dixit Petro ut privatæ personæ, sed ut publicæ; sicut & illud; ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

XIX. Primam itaq; probationem sumit Jesuita ab autoritate patrum, quam autoritati scripturæ præfert: & merito: cum juxta furores papanos scripture autoritatem & lucem suam accipiatur à patribus in Ecclesia. Qui eratissimus error omnium cæterorum in regno pontificio fons & fundus est. Patres nihil lucis adferunt ad sacram scripturam; sed quicquid lucis habent ab ista accensum habent. Non enim probat sacra scripture suas sententias autoritate Patrum; sed hi suas autoritatem scripture confirmant & probant: & quia & quatenus scripture in ipsorum scriptis lucet, ideo & eatenus lucem veram in se habent, alias meræ sunt tenebræ ut omnium aliorum hominum cogitationes, sermones, scriptiones. Quare stultissimum est probare scripture sententiam ex Patribus: cum potius hominum doctrina ex scripture probanda sit.

XX. Remittit nos ad Bellarm. librum 5. de Pontif. Rom. cap. 14. Ubi primum allegat Cyrrillum, Chrysostomum & Augustin: ex quibus discimus (addit.) Petrum interrogatum; an diligenter plus ceteris, quia ter negaverat: tandemq; subsumit & concludit. At solus ipse negavit: igitur solus ipse interrogatur: Proinde soli ipsi dicit: Pasce oves meas.

XXI. Formandum est ergo argumentum in hunc modum: Cui soli dictum est, pasce oves meas, ille solus est Monarcha per universam Ecclesiam: At Petro soli dictum est, pasce oves meas. Ergo Petrus solus est Monarcha per universam Ecclesiam.

XXII. Respondemus Maiorem esse falsam. Est enim fallacia à non causa ut causa. Nam non quia Petrus Monarcha est, illi ita dictum est: pasce oves meas: sed quia ter abnegavit Christum, illi ita hoc dictum est. Nam propter ternam abnegationem exciderat Apostolatu: debuit igitur in integrum restitui, & ob eam causam illi ter dicitur, pasce oves meas. Nazianzenus oratione in sancta Epiphaniorum lumina. pag. 292. *Trina interrogatio & confessione trinam reparavit negationem.* August. tract. 123. in Johannem: Redditur negationi trinæ, trina confessio. Idem de utilitate pœnitentiæ cap. 1. Numerus legitimus impleatur, ter confiteatur per amorem, qui ter negaverat per timorem. Idem sermone 149. de Tempore: Impletur numerus dilectionis & deletur numerus negationis: Cyillus lib. 12. cap. 44. in Joh. Altius quiddam haec omnia parturit. Nā quoniam cū aliis Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negavit, jure ab eo terna confessio petitur, ut terna negatio aequali confessionis numero compensetur.

XXIII. Sic notatu dignasunt in hunc locū verba Theophilacti: *Quare Christus, qui scrutator est cordium, nihil ignorat, interrogat: Non hoc facit, ut discat, sed ut doceat, & manifestet aliorum fidem; sicut & cum interrogaret; Quem dicunt homines filium hominis? quam fidem confessionemq; a nobis requirant, indicabat. Ita hic daturq; orbi magistros ac doctores, quales illos esse velit, terna interrogatione bene inculcat. Et videtur mihi amare Christū & ea, quae Christi sunt, sectari, antea insinuari per missionem retis in dextram partem: pascere autem per inventionem & capturam.* Interim Petrum, qui præalijs ceciderat, majorisq; esset fervoris, & dignus cui amplius creda-

credatur ministerium, comprobat, igitur ter proprio nomine vocat; ne dubiter remissa sibi peccata. Dicit autem primum: Diligis me plus bis? postea in duabus aliis interrogationibus tantum dicit, Diligis me? Quare hoc? Pratulerat se prius aliis arrogantius, dicens: Etsi omnes alij scandalizati fuerint in te, ego te non negabo. Proinde tunc desiderabatur in eo humilitas, quam nunc lapsu & pénitentia lucratus esset appareret. Amare enim se Christum fatetur, sed quod præ aliis amet, nondum dicere audet, quamvis dicere potuisse: Quod præ aliis diligam, vel ex hoc uno discere potes, quod aliis navigio ad te venientibus, ego impatientia desiderii in mare ne misi, ut ad te venirem, sed de hoc tacens dicit: Etiam Domine, tu scis quod amem te, scire autem Christum amorem nostrum, deitatis indicium est, quis sit an verè amemus, & melius sit quā nos ipsi. Omnia modesta & ardoris charitatis sunt verba. Docetur itaque pastorē ovium DEI & amore Christi præditum esse, & virtutum prærogativa se nulli præferre debere. Ita Christus & gregi consulit, & se diligentem remunerat, & super multa constituit, nempe super eos, pro quibus sanguinem suum effudit. Audiant Episcopi, & prædicatores verbi, quid eis commendetur, Pasce (inquit) oves meas. Ministerium affert, quo tuam erga summum pastorem charitatem probes: eo si fideliter functus fueris summum honorem assicurus es. Non facit dominum, non Principem, non Regem Petrum, sed Pastorem esse jubet. Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent super eas benefici vocantur. Non facit mentionem lactis vel lane, quæ tamen gratae oves debent pastoribus, ut ne sua sectetur, sed quæ aliorum. Pasce, inquit, non occide, ad adificationem, non ad destructionem officio fungere: pastor esto, non lupus. Ne contempseris oves amplexando hoc seculum: meæ enim sunt oves. De hædis & porcis, quibus margarite non sunt objiciendæ, nihil precipit, sed de ovibus & de his, qui verbum DEI audire cupiunt. Indoluit autem Petrus non ægræ ferens tertio repetitam rogationem, sed timens ob suam imbecillitatem. Et propterea jam non prædictur negatio, sed constans amor, quod nec si moriendum, relictus fit dominium, ut antea.

XXIV. Manifestum ergo est docere Theophilactū i. Mandatum de pascendis ovibus non tantum ad Petrum, sed ad omnes Apostolos, immo omnes Episcopos & pastores pertinere. 2. Quod ter repetatur interrogatio & mandatum, & Petri proprio nomine

vocetur, id propterea fieri, quod præ alijs ceciderat, & ne dubitet remissa sibi esse peccata. 3. Quod interrogatur prima vice, *diligis me plus his*, factū esse, quod prætulerat se prij alijs arrogātius. 4. Mandato illo, pascē oves meas, Christum adferre Ministerium, facereq; pastorem Petrum, non Dōminum, non principem. 5. Mandare Christum, ut pascat oves, non occidat, neq; de hædis & porcis quicquam præcipere. Nihil ergo hic de dominatu aut prærogativa ratione jurisdictionis, aut Monarchiæ Petri.

X XV. Quare etiā minor neganda est. Laboratenim fallacia amphibologiæ. Quandoquidem aliud est. Joh. 21. v. 17. ad solū Petrū dixit Christus, *Pasce oves meas*, & aliud rursus: Joh. 21. v. 17. ad solum Petrum dictum est, *tu solus, Petre, pasce vel pascere debes oves meas*. Illud verū est: Hoc nullo modo probabitur. Nam licet cum solo Petro colloquatur ibi Dominus, illiq; mandet, ut suas oves pascat: nō tamen unius inclusio est statim exclusio alterius: & in primis cū Christus alibi æquè Ministeriū pascendi, h.e. docēdi dūcēdiq; oves suas cæteris Apostolis atq; hic Petro cōmendaverit: ut Matth. 28. v. 20. *Docete omnes gentes*. Marc. 16. v. 15. *prædicate Euāgeliū omni creaturā*. Ubi idem prorsus est verborum sensus, quamvis non idem syllabarum sonus. Cui enim omnes gentes docere mandatur, ille universæ Ecclesiæ præpositus est. Et qui jubetur omni creaturæ prædicare, ille universæ Ecclesiæ præfектus est. Et Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes, & in Jerusalem & in Iudea, Samariag, usq; ad ultimas terras*: Sed qui jubetur de Christo ubiq; locorū testari, ille universæ Ecclesiæ præficitur. Quocirca ex eo, quod omnibus Apostolis commune est, non potest evinci primatus sive Monarchia Petri.

XXVI Adde, quod Apostoli, Petrū pro Monarcha nunquā agnoverunt. In actis enim cap. 8: v. 44 mittunt eum in Samariam: sed subditinon possunt suum Monarchā & caput mittere. Paulus quoq; 2. Cor. 11. v. 5 scribit, *se non esse inferiorē summis Apostolis*. Et repetit illud secunda vice 2. Cor. 12. v. 11. subditus verò est suo Rege inferior. Et rursus 2. Cor. 11. v. 28. dicit, *sibi incumbere quotidiana curā omnīū Ecclesiārū*. At cui hæc incumbit & urget, ille est omnibus Ecclesiis præfектus. Et Gal. 2. v. 6. ait idem Paulus, *eos, qui videbantur esse aliquid, sibi nihil contulisse*. In quem locū Chrysostomus scripsit: *Paulus se cæteris honore PAREM ostendit, nec se reliquis illis, sed ipfi summo*

fummo (PETRO) comparar, declarans, quod horum unusquisque parent
sortitus sit dignitatem.

XXVII. Atq; sic manifestum rursus est, omnibus Aposto-
lis mandatū esse, ut omnes oves Christi, sive universam & totā Ec-
clesiā pascant. Et hanc ipsam ob causā omnes Apostoli eadē au-
toritate instructi, & eadem missione missi sunt, eadē autoritate ar-
mati sunt Matth. 28. v. 19. Docete omnes gentes. Joh. 20. v. 23. Quorum-
cung, remiseritis peccata, remissa sunt eis. Mar. 16. v. 15. Praedicate omni
creaturae. Act. 1. v. 8. Eritis mihi testes in omni loco. Eadem sunt missi,
Joh. 20. v. 23. sicut misit me Pater ita ego mitto vos. Ex quib⁹ locis satis
manifestè liquet, Petro nihil peculiariter tribui. Hæc autē genera-
lis missio & inauguratio Petro non sufficiebat. Apostoli namq; erant
hoc officio decorati (sunt verba Cyrilli) priusquā Christus pateretur &
quia Petri tā turpiter Christū ter abnegaverat, hoc honore merito pri-
vatus erit, ut igitur de ejus autoritate constaret voluit Christus eū sin-
gulariter & cōmuniter insignire. Singulariter, ut quod per abnegationē
perdiderat, per hoc singulare mandatū reciperet, id est, ut restituueretur in
suū locū, quo ante abnegationē fuerat. Cōmuniter, ut cū reliquis Aposto-
lis haberet parē honorē, autoritatē & potestatē, id est, ut acciperet eandō
potestatē & autoritatē, quā Apostoli post resurrectionē à Christo acce-
runt. Cū ergo omnes Apostoli pascant oves Christi, & totiæ
universæ Ecclesiæ præfecti sint, sequitur, neminem ex ijs Monar-
chiam esse, & per consequens : à Christo non mandatum est, ut ipse
solus oves pasceret.

XXVIII. Quid? quod non tantū Apostolis, sed in universum
omnibus ministris mandatū sit, oves Christi pascere, teste ipso Pe-
tro i. Ep. c. 5. v. 2. Pascite gregem, qui penes vos est, ejus inspectioni vacā-
tes. Et Act. 20 Paulus Ptesbyteros Ephesinos sui officij gravissimè
admonens, inter alia inquit v. 28. Attendite vos ipsos & totum gregē,
in quo vos Spiritus S. constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam DEI,
Quare nō statim Ecclesiæ caput vel Monarcha erit, quicūq; pascit
oves Christi: alias n. tot habemus Monarchs, quot ministros.

XXIX. Excipit quidem Bellarminus, Apostolos bortari
comprebyteros, ut pascant gregem, non universalem, sed particularem.
Sed hoc satis est. Nam, si quicunq; pascit oves Christi, caput &
monarcha est; & quilibet minister pascit gregem particularem;

neces-



necessario sequitur, quemlibet ministrum esse Monarcham in sua
διοικησει particulari. Verum hoc absurdum ut nobis, sic quoq;
Pontificijs. Ergò neq; statim Monarcha vel caput Ecclesiæ est, qui
jubetur oves Christi pascere.

XXX. Exceptio ergò illa, qua Becanus dicit (*Tametsi Christus, cum dixit pasce oves meas, singulariter id dixerit excludendo reliquos Apostolos, quibus id non dixit, non ideo concludendum est, soli Petro personaliter dixisse excludendo successores Petri, quia id falsum est.*) nulla est. Falsitatis enim accusat verba Antonij; sed non dicit quare. Accusare facile est: sed accusationem probare, hoc opus hic labor est. Si verba illa non possunt extendi ad Apostolos cæteros, multò minus ad successores sive Petri sive aliorum Apostolorum extendenda esse nos concludimus, idq; non sine causa. Quandoquidem cæteri Apostoli erant æquales per omnia Petro, ut demonstratum: à Christo immediatè vocati, eadem autoritate instituti & eadem missione missi. Quod sanè de successoribus ita simpliciter dicinequit. Magnum enim discri men est inter Apostolum & Episcopum; majus sanè atq; est inter Cancellerium alicujus magni Principis vel ipsius Imperatoris, & ejus amanuensem. Interim concedimus, quod mandatum pa scendi oves, non ita singulariter pertineat ad Petrum, ut etiam ex dictis patet: Pertinere a. illud propterea ad unicum dñntaxat Petri successorem, quem Papam Romanum singunt, pessima petitio principij est.

XXXI. An etiam Petro dictum sit, *pasce oves meas*, ut publicæ aut privatæ personæ, non multum refert. Puto per mandatum illud Petrum, privatam personam, accepisse denuo munus publicum & ita per illud personam publicam factū esse. Si autē vel maximè petitū illud Becani concederemus: Quid inde? Forsan ita, & hoc ipsum colligeret. Cui, tanquam publicæ personæ, dixit Christus, *pasce oves meas*, ille non tantū constitutus est solus Monarcha & Caput Ecclesiæ Chisti, sed etiā ejus successor Papa Romanus: Atqui Petro, tanquam publicæ personæ, dixit Christus, *pasce oves meas*: Ergo Petrus non tantū constitutus est Monarcha & Caput Ecclesiæ, sed etiā ejus successor, Papa Rom.

XXXII. Quis verò adeò blennus & bardus, qui ex hac tenus disputa-



disputatis non intelligat, pessimā cōmitti petitionem principij? Nam si id Petro dictū ut publicæ personæ, ipsiq; munus pascendi Ecclesiā eo ipso commissum, inde ē statim sequitur, reliquos Apostolos nō esse Apostolos & sic publicas personas, illos ab hoc munere exclusos esse; & contra inclusos esse Petri successores, nempe Papas Romanos? Credat Judæus Apella: non orthodoxus Lutheranus. Nulla enim consequentia, nulla veritas: sed mendaciorum plena sunt omnia.

XXXIII. Quod attinet alterum, quod Christus ad Petrum dixit: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. An illud ad ipsum, tanquam publicā, an tanquam ad privatā personam dixerit.* Puto ego in eo respectu id dictū fuisse ad Petru, quo respectu lapsus est & abnegavit Christū: Atqui verò nō abnegavit Christū ut Apostolus, & sicut publica persona. (Nā quatenus Apostolus & respectu muneris Apostolatus erat publica persona) Ergo istud ad ipsum, Christus non dixit tanquam ad publicam personam; Ergo tanquam ad privatam, quatenus erat Petrus & homo erroribus obnoxius.

XXXIV. Deinde quod est causa fidei & perpetuitatis ejus in Petro, illud non est causa alicujus in Petro, ut in publica persona: At oratio Christi pro Petro est causa fidei & perpetuitatis ejus in Petro. Ergo oratio Christi pro Petro nō est causa alicujus in Petro ut in publica persona. Major est certissima. Nā quando Deus fidē in homine operatur, tum illū convertit: Quando vero hominē convertit, tum cum illo agit ut cum privato de propria justitia & salute obtainenda, ut inquam, privatus homo est, & privatim Deus cum ipso agit, & ipse DEI actioni subjicitur. Minor est plana ex verbis Christi. Exgo conclusio est certissima.

XXXV. Tertio non etiā Christus pro solo Petro, sed pro omnibus fidelib⁹ rogavit, ne ipsorū fides deficeret. Joh. 17. v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, velim, ubi ego sum, illi sint mecum.* Et v. 20. *Non tantum pro ijs rogo, sed & pro iis, qui per eorum sermonem credituri sunt in me.*

XXXVI. Nec est, quod quis objiciat, aliquid peculiare esse in ista historia, quā dicuntur Christus orasse pro Petro: cū statim addatur: cū conversus fueris, confirmā & fratres. Nulla, inquā, hæc est objectio: cū conversus fueris, confirmā & fratres. Nā primū hoc est novū mandatum, quo præcipitur, quid facere debeat Petrus, quando Christus cū ipso tanquam privato egerit, & converterit. Ideoq; ad conversionē illā, de qua agit Christi oratio, non pertinet. Deinde non etiā mandatur Petro, ut sit caput Ecclesiæ vel Monarcha, sed ut confirmet fratres: Quæ confirmatio cōsistit in propagatione Evangelij, quæ

non.



non tantū Petro, sed omnibus Apostolis, mandatū est. Tertio nō solū Petrus sed Paulus quoq; & Barnabas confirmabāt animas discipulorū, Act. 14. v. 22. Judas & Sylas confirmarunt fratres, Act. 15. v. 32. Paulus confirmat Ecclesiās, Act. 15. v. 41. Ecclesiāe confirmantur à Paulo & Timotheo. Act. 16. v. 5. Paulus confirmat omnes discipulos, Act. 18. v. 23. Paulus cōfirmat Romanos, Rom. 1. v. 11. Timotheus confirmat Thessalonicenses 2. Thess. 3. Et tamen hi non sunt vel Monarchæ vel capita Ecclesiæ.

XXXVII. Pergit Becanus §. 2. Secunda quæstio est. *Quænam oves commissæ sunt Petro ad pascendū?* Catholici docent, omnes Christi oves, id est, omnes fideles totius mundi illi cōmissos esse. Tu idē afferis n. 5. his verbis: Facile consentio sub verbo, oves, fideles omnes indefinite totius mundi intelligi. Rectè: sed minimè constans es. Nā paulo post duo alia afferis, quæ ē cū isto ē inter se pugnant. Unum est, omnes fideles intelligi, exceptis Apostolis, sic n. scribis n. 6. Illas tamen probare non possum, qui verbis illis, *Pasce oves meas, Petro, etiā ipsorū Apostoloū curā censem à Christo fuisse commissā.* Alterū est, solos Judeos seu Israelitas intelligi. Hoc tradis n. 10. his verbis. Tertio dici potest, quod etiā paulo ante attigi, *Petro singulariter Christū dicere, pasce oves meas, id est Israelitas qui runc solierant Christi oves.* Vide obsecro, M. Antoni, quā vagus ē inconstans sis. Nos constanter afferimus, omnes fideles, etiā Apostolos, nomine ovīū significari. Quod facile probari potest. 1. autoritate Patrū, qui unammi consensu id docent 2. ex verbis Christi. Nā cū dixit: *pasce oves meas,* hoc voluit dicere, *pasce gregem meū, pasce Ecclesiā meā.* At reliqui Apostoli sine dubio pertinebant ad gregem & Ecclesiam Christi. 3. quia Christus nondixit: *pasce has oves*, aut *illas*, sed sine ulla restrictione, *pasce oves meas.* Ergo omnes suas oves illi commisit, Ergo ē Apostolos.

XXXVIII. Quomodo Marcus Antonius cū Pontificijs consenserit vel non consenserit, non multū curamus. Interim certū est, quod ipse maneat optimus interpres verborū suorū minimè ambiguorū: nempe quod locutus sit de ovibus totius mundi, quatenus illæ Apostoli non sunt, & sic Apostolis & muneri Apostolico subordinantur, & suo modo opponūtur, népe(ut dixi) quatenus Apostoli nō sunt. Atq; hanc fuisse mentē hujus Antonij, patet ex subjecta ejus declaracione, qua negat mandato illo de pascendis ovib⁹, Petri pastore reliquorū Apostolorū cōstitutū esse. Ut ita mens Marci Antonij sit. Facile cōsentio, sub verbo, oves, fideles omnes indefinite totius mūdi inselligi, népe qui oves sunt & nō Apostoli. Nā Apostoli nō erāt ullorū hominū, & sic neq; Apostolorū vel alicuj⁹ Apostoli oves; sed simpliciter respectu hominum erānt Pastores, quod supponit Antonius: Ideoq; modo Iesuitico, hoc est, injurioso & calumniatorio, inconstantia accusatur.

39. In



XXXIX. In altero committit manifestam fraudem.

Becanus. Non enim dicit Antonius *solas Judeos sive Israelitas isto mandato includi*; sed *tantum eo singularem ad ipsos respectum haberi*. Et sane id probabile est: cum Petrus Apostolus circumcisionis esse debebat, & potissimum inter Judæos Evangelium de Christo prædicare ad Galat. 2. v. 7. Sed ista nihil ad nos.

XL. Videamus potius, quibus argumentis Becanus probare conetur suum thema, nempe omnes fideles, etiam Apostolos, nomine ovium significari. Primo rursus loco allegat autoritatem Patrum: Quam verò sine autoritate Scripturæ nō curamus. Nihilominus videbimus de illis in sequentibus: cum Jesuita deinde & seorsim, tum in hoc tractatu, tum in manuali de illis agat, & ipsorum testimonia adducat.

XLI. Secundum desumitur ex verbis Christi, & ita potest formari: Quicunq; pertinent ad gregem & Ecclesiam Christi, illorum Pastor & caput, vi mandati Christi, pasce oves meas, est Petrus constitutes: At qui omnes fideles, etiam Apostoli, pertinent ad gregem & Ecclesiam Christi: Ergo omnium fidelium, etiam Apostolorum, Pastor & caput vi mandati Christi, pasce oves meas, est Petrus constitutus. Major probatur: *Quia cum Christus dixit: Pasce oves meas; hoc voluit dicere, pasce gregem meum, pasce Ecclesiam meam.* Statim subjicimus & tertium, quia idem est cum secundo: Qui non dixit Petro pasce oves has aut illas, sed sine ulla limitatione, pasce oves meas, ille Petro omnes suas oves, inter quas etiam sunt Apostoli, commisit: Sed Christus non dixit Petro: pasce has vel illas oves: Ergo Christus Petro sine ulla limitatione omnes suas oves, & sic quoq; Apostolos commisit.

XLII. Respondeo ad primi syllogismi Majorem, committi in illa fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Distinguendum enim est inter oves Christi duplices. Quædam enim non debebant doceri, regi, & sic pasci ab hominibus, sed tantum immediate à Christo & Spiritu sancto: Quædam verò ab hominibus erant pascendæ. Mandatum

C

Chri-

Christi, pascē oves meas, tantum de posterioribus, quae pos-
sunt ac debent ab hominibns pasci: non verò de prioribus ne-
cessariò est intelligendum. Quia enim illi nulli hominum ra-
tione pastus subjici poterant: utique nec de illis pascendis per
homines ullum mandatum dari poterat. Quia igitur Apo-
stoli sub priore isto numero continentur, imo illum consti-
tuunt, qui immediate à Spiritu sancto docendi & ducendi, &
sic pascendi erant, utique sub posteriori subsumi nequeunt:
duplicatur enim Medium, & oriuntur quatuor termini in Syl-
logismo, & sic scopæ dissolutæ.

XLIII. Quod autem Apostoli non debebant ab ho-
minibus, sed æquè, ut Petrus, immediate à Spiritu sancto duci
& doceri, id constat manifestis scripturæ dictis. Nam non tan-
tum Petro, sed omnibus Apostolis promisit Christus Spiritum
sanctum ejusque immediatam illuminationem, Job. 14. v. 26.
cap. 15. v. 26. cap. 16. v. 7. & seqq. Et apud eundem Johannem cap.
20. v. 22. legimus: Et cum hac dixisset, sicut in (non solum Petru,
sed) eos. (id est omnes discipulos.) & dixit eis: Accipite spiritum
S. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittentur eis: Quorumcunq;
autem retinueritis, retenta sunt. Et Act. 2. v. 3. & seqq. ubi descri-
bitur, quomodo Spiritus Sanctus juxta Christi promissionem
fuerit effusus, non sanè super solum Petrum, sed super omnes
vīsæ sunt (non soli Petro, sed) eis, (id est, omnibus Apostolis) dis-
perte in lingue instar ignis: & quod Spiritus Sanctus super unum quem-
que eorum: & quod repleti sint omnes Spiritu S. cōperintq; loqui aliis
linguis, prout spiritus ille dabat eis eloqui.

XLIV. Et Paulus de se expressè testat, quod Evange-
lium suum non ab hominibus accepit, Gal. 1. v. 11. 12. Notum
autem facio fratres, inquit, quod Evangelium predicatum à me,
non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi: neq; e-
doctus sum sed per revelationem Iesu Christi. Ergo neq; Paulus est
pastus à Petro. Gal. 2. v. 6. Qui videbant esse aliquid, nihil contule-
runt. At quomodo potuir Petrus illum pascere, cui nihil con-
tulit? Et sanè ad Apostoli officium propriè pertinet, à Deo im-
mediate edocitum esse. Hinc ibidem Paulus v. 8. Qui efficax
fuit

fuit, (arrige aures Papista) per Petrum ad Apostolatum circumca-
sionis; efficax etiam fuit per me ergentes. Quid clarius dici pos-
set? Nihil tribuit Paulus Petro, sed se ipso in Apostolatu sim-
pliciter & qualem facit. Quis etiam ex dictis non manibus
quasi palpet, Petrum neq; Apostolos pavisse? Et quis affirmare
dubitet, commentum hoc excogitasse Papanos, ut si Petrus
fuisse Pastor omnium Apostolorum, & tamen eos non pavis-
set, recte possent concludere: Papam, etiam si neminem pa-
scat, posse totius Ecclesię Pastorem esse: & non pascendo sati-
facere mandato Christo, pasce oves meas: quippe cui omnia
sunt possibilia, etiam ut duo contradictoria sint simul vera.
Hæc responsa sunt ad secundum Argumentum.

XLV. Tertium cum secundo coincidere diximus, id-
eoque eadem ferè erit respoasio. Ad majorem ergò dicimus
Christum quidē non dixisse, *pasce has vel illas meas oves*, sed *indefi-*
nitè meas oves. Verum quis Logicorū unquam docuit, Indefi-
nitam propositionem & equipollere Universali? Sancte Logico
judicio omnis Indefinita Propositio habet ingenium parti-
cularis. Ideoque Universalis ex sua forma nunquam judica-
bitur, nisi materiæ necessitas id flagitet, & manifesto ostendat.
Illam verò necessitatem neq; Bicanus, neq; ullus aliis Jesuita
haec tenus probavit, vel ex aliis locis Scripturæ, vel ex hoc ipso
præsente.

XLVI. Etsi vel maximè pro Universali esset accipien-
da, tamen non nisi de subjecta materia esset intelligenda: uti
dicitur Marc. 16.v.15. & quidem in forma Universalis: *Prædicate*
Evangelium omni creaturæ. Si quis methodum hanc argumen-
tandi Jesuiticam sequi vellet, non posset non more Jesuitico
ineptissimè concludere: *Omni creaturæ est prædicandum Evangelium*: At qui leo, bos, asinus, & omnia irrationalia animalia,
imo omnes arbores, gramina, lapides, sunt Creaturæ: Ergo leo-
ni, bovi, asino, & omnibus irrationalibus animalibus, arbori-
bus, graminibus, lapidibus est prædicandum Evangelium. *Quis*
etiam Pontificiorum negaret hanc conclusionem: cum vihius
argumenti verissima ipsi sit historia, Ambrosium prædicasse

Evangelium piscibus: sed credat irrationalis Papista, nos Eu-
therani ita mente capti non sumus, ut planè nihil videamus,
quid distent aera lupinis. Ipsa materia, de qua agitur probè de-
monstrat, quod de nullis aliis creaturis quam docilibus, & sic
rationalibus, hoc est, hominibus, illa universalis sit acceptan-
da, & nequaquam ad animalia irrationalia, multo minus ad
arbores, lapides &c. extendenda.

XLVII. Eodem planè modo mandatum Christi Joh.
21. si vel maximè Universale esset; uti quo ad formam non est,
fatente ipso Jesuita; subjecta tamen materia, de qua agit, per-
se loquitur & ostendit, illud ita non intelligendum esse, ac si
Petrus re ipsa omnes homines debuerit pascere, & sic omnes
etiam ubique vel Laicos vel Clericos, vel utrosq; simul pave-
rit. Sanè multæ Regiones sunt, quas Petrus nunquam adiit;
proindeque manifestum est ipsum non docuisse omnes homi-
nes. Si autem mandatum illud Petrum ita strictè non obli-
gavit, ut omnes homines doceret: quæstio porro est, quæ vi cō-
sequentiæ per vocem illam *Metas* demonstratus sit Becanus,
vel quidam ejus discipulus, necessariò illâ includi Apostolos.
cum jam demonstratum sit, non necessariò inde concludi o-
mnes Laicos pascendos esse, vel pastos fuisse à Petro, sed tan-
tum illos, quos potuerit pascere: cum ultra posse nemo ullo
mandato obligetur. Quia igitur Petrus cæteros Apostolos
pascere non potuit, ut demonstratum; utiq; necessario sequi-
tur, Petrum mandato illo Christi ad pascendos Apostolos ob-
ligatum non fuisse.

XLVIII. Quare etiam de nihilo non est, quod querit;
(sive ironicè sive serio) Marcus Antonius. Ad quid obsecro? in-
quiens: Fortasse ad ipsorum confessiones audiendas: An ad ipsos do-
cendos & instruendos? An ad corrigendos & puniendos? Sane, in-
quam, non de nihilo hæc est quæstio: Sublati enim omnibus
partibus capitî & Monarchiæ Ecclesiasticae tollitur totum.

XLIX. Sed audiamus, quid Becanus respondeat, §. 5.
Respondeo, inquit: Vel ironicè hoc queris, vel serio. Si ironicè non es
dignus responso: si serio dicam serio quod res est. Apostoli indigebant
Fetro



Petro Pastore in eum finem, ob quem Christus voluit illum esse Pastorem. Nimirum ut in Ecclesia esset unum Caput visibile, cui reliqui omnes obdiren̄t, & sic servata & stabilita unitate capit̄is, tolleretur occasio scismatis & dissensionis, quae facile oritur in communitate, in qua non est unum Caput, cui ceteri adh̄ereant, & subjecti sint. Aut autem indiguerint Pastore, propter confessionem, instructionem, aut punitionem, parum ad rem facit. Non enim necesse est, omnes & singulos subditos, huiusmodi presidiis indigere. Utinam nullus indigeret. Utinam omnes a peccato, ignorantia & reatu immunes essent: Non ideo desinerent esse subditi.

L. Omnidic, Beane, de re seria, & magni momenti ironice respondenti respondendum est: ne stultus in stultitia & ignorantia sua superbiat. Si autem sapiens stulti alicujus incepsias, quas pro magna sapientia vendit, videt, tum bene facit stultus quod taceat, & quidem non propterea, quod sapientiam indignam responsione judicet, sed quod in se descendat, & ineptias suas, stultasque nugas agnoscat & pœnitiat.

LII. Deinde seria Jesuitæ responsio, nugatoria petitio principii est. Ait enim Apostoli indigebant Petro pastore in eum finem, ob quem Christus voluit illum esse pastorem: nimirum ut esset in Ecclesia Caput visibile, cui reliqui omnes obdiren̄t &c. Petitio, inquam, principii est. Nam de illo ipso sine quaestio est: an nimirum Christus Petrum voluerit esse Pastorem ceterorum Apostolorum, ut ipsorum caput visibile esset: & in illis officium capitis, exercebat, quod in mandato Christi per τὸ pascere exprimitur. Unde sic argumentor: Quos Petrus pascere non potuit, illorum neque pastor per mandatum Christi pascere est constitutus; At Apostolos Petrus pascere non potuit; Ergo Petrus Apostolorum Pastor per mandatum Christi, pascere, non est constitutus. Major est certa. Manifestum enim ac perspicuum est mandatum Christi, quod non ordinat Pastorem pro forma & otiosum (qualis esse vult Papa) sed qui pascat. Deinde etiam non obligat ad impossibilia: sed tantum ut pascat, quos possit pascere: quod in omnibus mandatis subintelligatur; proinde que illorum tantum se pastorem agnoscet, quos pascere possit.

nempe illos, qui tantum sunt oves Christi, & non simul Apostoli Christi.

LII. Quod autem Petrus non possit pascere Apostolos reliquos; demonstravit Marcus Antonius remotione omnium partium officii pastoralis: Quicunq; exercet officium pastorale in Apostolis, exercet illud vel in audiendis ipsorum confessionibus, aut in ipsis docendis & instituendis: aut in ipsis ipsorumque moribus & actionibus corrigendis & puniendis: At nullum harum partium officii pastoralis exercere potest Petrus in Apostolis: Ergo neq; Apostolorum pastor esse potest.

LIII. Quid responderet Becanus? Nihil: sed, ut diximus, id, quod in principio est, petit: *Apostoli indigebant Petro pastore in eum finem, ob quem Christus voluit esse pastorem*: nempe ut Pastor esset. Nam caput Ecclesiae & Pastor Becano sunt Synonyma, ut ex præcedētibus patet: Interim videtur Becanus ad hac addere partē officii pastoralis omissam à Marco Antonio: quæ est, ut ipsi obediatur: & sic servata & stabilita unitate capitis tolleretur occasio schismatis & dissensionis.

LIV. Respondemus & hanc partem involvi illis ab Antonio enumeratis. Sic argumentor: Qui nihil potest docere, nihil mandare, nihil corriger, ille neq; præfectus est, ut cui obedientia præstari debeat: At Petrus Apostolos nihil potest docere, in illis nihil corriger, proindeq; nihil illis mandare: Ergo Petrus cæteris Apostolis non est præfectus, ut cui obedientiam præstare debeat. Major est certa. Ubi enim non lex sive præceptum, ibi nulla potest esse prævaricatio: Et ubi talis esse nequit, ibi nulla etiam exigitur obedientia: quæ mandato habentis jurisdictionem præstari debeat. Ubi enim ejusmodi mandatū non est; ibi neq; ei respondens obedientia esse potest.

LV. Deinde si Apostoli debuerunt præstare obedientiam Petro: illam vel præstare debuissent respectu mandatorū Dei, ut nimirum Petrus Apostolos contineret in officio, ne aliquid contra præcepta Dei attentarent vel committerent: vel ratione mandatorum propriorum: quo ipse regeret tauquam visibile caput Ecclesiae. Neutrū esse potest: non posterius, quādoqui-

doquidem ejusmodi Mandato Petri, quod suo nomine tanquam
Monarcha Ecclesiae promulgasset, nullibi extat: neq; etiam un-
quam ejusmodi potestate sibi arrogavit; sed potius contra-
riū mandavit, &c serio inculcavit, quod neq; Episcopus debeat
dominari clero, neq; mandatis homiū Ecelesia gubernari;
sed tantum mandatis Christi. Non prius; Nam omnes Aposto-
li æquè ut Petrus à Spiritu S. immediatè regebantur: Ut ergo
Petrus propter immediatam assistentiam Spiritus S. non indi-
gebat externo capite, directore & inspectore, qui ipsum in of-
ficio & obedientia mandatorum divinorum contineret: sic
propter eandem causam externo ductore & rectore non indi-
gebat cæteri Apostoli: sed omnes immediatè regebantur à Spi-
ritu S. & in unitate capitum Christi continebantur, conservabā-
tur. Quod ergò subjungit Beccanus, facile sc̄ibismata & diffensio-
nes oriri, ubi unum caput visibile non est; Respondeo, id in Apo-
stolis Domini locum non habere: quippe qui ab infallibili du-
ctore & doctore, nempe Spiritu S. ita regebantur, ut neq; erra-
re, neq; à Christo capite suo desicere potuerint. Ideoq; hic non
tantum non erat facile, sed planè impossibile.

L VI. Taceo, quod si is statim est alterius caput, qui il-
lum corrigerere potest, & quoq; ut officii ratione corrigeret te-
metur, sic pro renata corrigit, sequitur quod non Petrus Paulis,
sed potius Paulus Petri caput fuerit; Ille enim Petrum nō hic
illum correxit, & severè reprehendit, quod non recto incesse-
rit pede ad veritatem Evangelij, quia coegerit gentes iudaiza-
re, in aeternum ergò disputat, nihil concludit Jesuita.

L VII. Uti etiam admodum jejunum & insulsū est,
quod subjicit: *An indigerint pastore propter confessionem, instru-
ctionem aut punitionem, parum ad rem facit.* Cur non faceret Be-
ccane? Numquid verum est, quod sublatō fundamento corre-
lati: ut ipsum correlatum, sic quoque relatum correspondens,
tollitur: putō. Ergò si tollas fundamentum, propter quod
aliquis Ovis esse possit ac debeat alterius; utiq; tollis utrūq;
& quod ovis sit, & quod sit illius Pastoris ovis, & is hujus ovis
pastor. Jam autem sublatum est fundamentum per negationē
illius.

istius allegatæ indigentiaæ, quo Apostoli sint, vel esse possint oves: Ergo eo ipso negatur, quod sint oves Petri, & quod Petrus illorum sit Pastor.

L VIII. Quod addit exemplum à subditis petitum, & id jejunum est. Nam subditi respectu Magistratus & Oves respectu Pastoris, non omnia habent paria. Ponamus fieri posse, ut detur subditus, qui sine præscriptis legibus virtutis viam sequatur: Talis verò ovis poni & singi nequit, quæ rectore & pastore carere queat. Unde Esaias simile petit ab ovibus cap. 53. v. 6. *Omnès nos sicut oves erravimus, &c.* Et Christus in Evangelio semper Oves & Pastores conjungit. Interim & hoc certum est, quod omnes indigeant, etiam sapientissimi, Magistratu: Nā licet non semper errant, tamen errare possunt. Deinde & si vel maximè etiam errare non possent, (quod verò concedi nequit) defensione tamen magistratus indigerent, ut à malorum injuria tuti esse queant. Quare licet forsitan quidam subditi aliquibus præfidiis magistratus non indigeant, non tamen indigent planè nullis: Apostoli verò præsidio Petri planè nullo egent.

L IX. Quid autem hoc. Ultinam, inquit Jesuita, nullus indigeret. Ultinam omnes à peccato, ignorantia & reatu immunes essent: Non ideo desinerent esse subditi? Cur nō Becane! Putasne, si Adam mansisset in statu integritatis, opus fuisse Magistratu: Profectò si hoc assenseris, in magno errore es. Magistratus primum post lapsum à Deo institutus, ordinatus & sanctus est, in defensione bonorum, & pœnam malorum. Si ergo mali non fuissent, boni à malis offensi nō fuissent. Si hoc: ergo non opus fuisset defendere bonos, & punire malos. Sublato autē fine & negato, tollitur id, quod ad finem ordinari debet, vel ordinatum est. Atq; hanc quoq; ob causam in altera vita, nullus erit amplius magistratus. Ibi autem nullus est Magistratus, ibi quoq; subditi nō sunt. Nam sublato uno relato, tollitur etiam alterum, cum se mutuo constituant.

L X. Sic eodem modo se res habet, cum verba Jesuitæ ad nostrum institutum, & res Ecclesiasticas applicantur. Si omnes à peccato, ignorantia & reatu immunes essent; tum neq; cjuſ-



ejusmodi regimē Ecclesiasticum, quale jām est, esset necessariū, imo planē non esset: non esset Christus incarnatus, ergo multō rāius aliquis ejus Vicarius. Si enim h̄emo non fuisset Iapsus, λόγος quoq; non incarnatus, Petrus ad Apostolatum non vocatus, proindeq; nullus ejus Vicarius vel fuisset, vel sē talem jactare potuisset. Hoc enim maximum est peccatum se Vicarium Christi & Caput Ecclesiae jactitare. At vitium in isto statu perfecto in hominem cadere non potuisset.

LXI. Sequitur tertia quæstio §. 6. Quid significat illa vox pascere? Et responderet Beccanus §. 7. Pas. ere idem est, quod officium pastorale exercere. Officium autem pastorale includit tres actus principales, ut ex scriptura patet: Primus est pabulum præbere, & ad pascua ducere, Ezech. 34. v. 2. Vt pastoribus Israel, qui pascebāt se met ipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur? Et Ps. 23. v. 1. Dominus regit me (gracē est, pascit me) & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit, §. 8. Secundus est infirmas oves sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere, Ezech. 34. v. 5. dispersae sunt oves meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in deporatione omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei, & non erat, qui requireret. Et infra v. 15. Ego pascam oves meas, & ego accubare faciā, dicit Dominus Deus, quod perierat, requiram, & quod abjectū erat, reducam, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. §. 9. Tertius est, præesse, regere, gubernare, judicare, discernere, castigare, 2. Reg. 5. v. 2. Tu pasces populum meum Israel, id est, gubernabis, ut patet ex verbis seqq. Et tu eris Dux super Israel. Et Ps. 2. v. 9. Reges eos in virga ferrea. Gracē est noua aveīc dūr&g, i.e. pascēt eos. Et Ezecl. 34. v. 17. Vos autem greges mei, hoc dicit Dominus Deus: Ecce ego judico inter pecus, & pecus arietum & bircorum. Et v. 20. Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilentum. §. 10. Unde sic concludo: Christus cum dixit Petro: Pasce oves meas, commisit illi officium pastorale, respectu omnium Christianorum, nullum enim, ut dixi, exceptit. Ergo dedit illi potestatem exercendi officium pastorale. Officium autem pastorale est, oves ad pascua ducere, infirmas curare, dispersas colligere, inter sanas & vitiosas judicare, contumaces cogere, & ad ovile compellere, lupos

D

AYCE-

acere, (qua omnia ut patet ex scripturis citatis, & potissimum ex Ezechiele, non tantum intelliguntur de pastore brutarum oviū, sed multo magis de pastore fidelium.) Ergo Petrus habuit potestatem hac omnia prestandi, respectu omnium Christianorum. Potuit igitur ratione officii pastoralis, ubiq; Evangelium prædicare, Sacra menta administrare, peccantes corriger, errantes reducere, inter veram & falsam doctrinam discernere, & ad unitatem Ecclesie compellere, hostes arcerere, sive per se, sive per alios sibi subordinatos. Et sic explicant antiqui Patres, quorum verba referemus, sequenti capite.

L XII. Vult quidem Be canus videri se omnia distincte proponere, cum interim diversissima confundat, proindeque pessimam fallaciam compositionis committit. Sciendum igitur quod verbi pascendi potestas & significatio sit duplex. Primum accipitur idem sive propriè: quo sensu idem est, quod allevare, aut cibum ministrare. 2. μεταφορά sive figuratè pro curare, prospicere, providere. Et hoc rursus dupliciter. Nam 1. tribuitur Magistratui politico, & notat ejus regimè curamq; subjetorum, ut 2. Sam. 5. v. 2. cap. 7. v. 7. qui locus in tertio actu à Be cano allegatur. Apoc. 19. v. 15. &c. eodemq; sensu Homerus Agamemnonem vocavit ποιμένα λαῶν pastorem populi. 2. Apostolis & Ecclesiæ ministris: Ubi pascere idem est, quod docere, informare, & reliquias ministerii partes obire; quæ significatio aliquoties inculcatur, Ezech. 34. Act. 20. v. 28. Eph. 4. v. 11. 1. Pet. 5. v. 1. 2.

L XIII. His ita presuppositis & distinctis; negamus officium pastorale, ut Magistratui contradistinguitur, & Apostolis ac ministris Ecclesiæ tribuitur sine discrimine tres illos actus, & consequenter principatum ac dominium aliquod includere. Nam nulla est consequentia: Verbum pascere, est πολύσημον, & diversas habet significationes: Ergo illæ diverse significationes statim notat tot actus officii pastoralis: ut illud personis Ecclesiasticis tribuitur. Nam ex modo allegatis Sacrae scripturae locis invictam ac immotam consequentiam deducimus: quod Pascere, Apostolis & præconibus verbi tributum, nunquam principatum aut dominium, sed unicè & semper ministerium significet, ob interdictum primatū à Christo Lyc. 22. v. 25. 26. & ab ipso Petro 1. Ep. 5. v. 1. 4.

64. Una-

LXIV. Unde quilibet videt ac intelligit: quid ad argumentum ultimo loco collectum sit respondendum. Primum quod dederit Petro Christus officium pastorale respetu omnium Christianorum, & sic Apostolorum, illud ex mandato hoc Christi nulla consequentia probari posse, demonstravimus responsionibus nostris, ad praecedentes questiones datis. Id verò neque ex variis significationibus verbi *pascere*, probari posse, inde liquet, quod confundat Beccanus, diversas hujus verbi significationes; cum a cibis propriis officii pastoralis: atque hoc confuse ponit, & officium pastorale & quivocè supponit, quod aliter de Magistratu, aliter de ministris Ecclesie dicitur: uti & ipsum verbum *pascere*, ut patet. Et quæ est consequentia; Pastoris officium est, non tantum cibum ministrare vel alere, sed etiam ad ovile cōpellere, lupos arcere, &c. Ergo *Pascere* significat non tantum alere, sed etiam significat ad ovile compellere: significat lupos coercere, &c. Nulla sanè. Si autem *Pascere* illas significationes non habet: qui ergo probari poterit? quando Christus dicit ad Petrum, *Pasce oves meas*: quod ipsi mandet, debere ipsum, ut magistratum politicum, oves coercere, illas, ut Regē, in virga ferrea, sive per se sive per alios regere. Quomodo hoc, p̄t. Deum immortalem probabit Jesuita? Sane ex argumento formato nihil horum sequitur, ut patet.

LXV. Quarta & ultima quæstio apud Beccanum proponitur §. II. *An aliquid peculiare concessum sit Petro per illa verba, Pasce oves meas.* Resp. Aliquid peculiare concessum, & datum esse Petro non imus inficias: quandoquidem, quod per abnegationem Christi amiserat, illud hoc mandato recuperavit, nempe quod rursus inter Apostolos numeratus, de novo Apostolus vocatus & confirmatus, & sic reliquis Apostolis aequalis iterum factus est. Atque hoc est illud peculiare, quod adhibitis certis ceremoniis (quas adeò urget Beccanus:) hic cū solo Petro egit Christus, & Petrus accepit: cum ergo illud, quod ante habebant cæteri Apostoli, hac investitura denuo accepit, sequitur quod nihil ratione Apostolatus p̄t aliis accepit.

66. Non



LXVI. Non opus est, totam disputationem, quam
hichabet Beccanus cum Antonio, adscribere, quia magni mo-
menti non est: tantum notetur, quod Jesuita urget, trinam in-
terrogationem Christi: *Simon Johannis diligis me plus his*, &c. Et
triplicem commissionem, ut loquitur, *Pasce agnos meos*, &c.
& addit: *ista otiose non esse facta*. Quod libenter concedimus:
Quæ autem est ratio consequentia, illa trina interrogatio &
commissione non est facta otiosè; Ergo ista Petro concessus est
primatus inter Apostolos & totam Ecclesiam? Committi fal-
laciā causæ satis demonstravimus, ut non opus sit nova re-
petitione. Tantum hic coronidis loco notetur: Quod ver-
bum *pascere nullibi* hoc sensu accipiatur, cum de Apostolis &
Doctoribus sermo est: cur ergo hic peculiarem significatio-
nem obtineat? Deinde in Græco bis habetur verbum *βόσκειν*,
& semel *ποιμαίνειν*: quæ sensu planè conveniunt: *βόσκειν* vero
pro dominio usurpatum nullibi legitur. Tertio pastura Petri,
aut est ipse Apostolatus, aut est aliquid Apostolatu superius:
Si illud, nihil peculiare præ ceteris Apostolis accepit: si hoc,
tum erit concedendum, dari officium aliquod præter Aposto-
latum, quod hoc sit superius: quod vero expressè negat Paulus
1. Cor. 22. v. 28. Atque sic evidentissimè est evictum & de-
monstratum; mandato illo Christi: *pasce oves meas*:
nullum in Ecclesia primatum Petro esse
commisum.

SOLI DEO GLORIA.

solus in honore summi Christi
et eius operum

99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Retro

VDT7





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



TERTII Confessionem anno XXVII.

nens
ARTICVLI VII.

clefia,

specie,
etri , ex dicto

h. 21. v. 17.

osita
mia VVittebergensi,

S I D E
ARTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito,

NDENTE
ELIO Rügenw. Pom.

Collegii Veteris
n. Decembr.

BERGÆ,
BROSII ROTHI, Acad. Tyogr.
M DC XXX.